



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 231. Vtrùm intellectus sit potentia actiua, vel passiua animæ, ac intellectus agens sit potentia distincta ab intellectu possibili?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

imaginatum vt absentem. Tertia est aestimatiua, per quam animalia percipiunt etiam aliquas intentiones, seu aliqua obiecta non sensata, e. gr. conuenientiam nidificandi, filios alendi &c. Quarta est memoria, per quam animalia conseruant species, & phantasmata obiectorum sensatorum. Auicennas addit quintam potentiam mediam inter imaginationem, ac aestimatiuam, quam vocat phantasmam, & per quam phantasmata componuntur, & diuiduntur, eo pacto, quo homines componentes phantasmata montis, & auri, imaginantur montem aureum. Sed Sanctus Thomas docet hanc operationem dari in solo homine, ad eamque sufficere potentiam imaginatiuam, ac proinde hanc quintam potentiam non esse admittendam. Sed doctrinam huius articuli explicauimus in philosophia, quæst. 29. de anima, & quæst. 30. egi de organo, speciebus, medio, actibus, & passionibus potentiarum interiorum, ac præsertim de somno, vigilia, ac somnijs, adeoque nihil hic est addendum.

QVÆSTIO CCXXXI.

Verum intellectus sit potentia actiua, vel passiuæ animæ, ac intellectus agens sit potentia distincta ab intellectu possibili?

S. Thom. quæst. 79. art. 1. 2. 3. 4. & 5.

1. Sanctus Thomas qu. 78. distinxit quinque genera potentiarum, quæ sunt vegetatiuum, sensitium, intellectuum, appetituum, & loco motuum: art. autem 2. 3. & 4. egi de potentijs vegetatiuis, & sensituijs, quæ in homine sunt præambula ad intellectum. Quæstione 79. descendit ad agendum de ipso intellectu, eiusque partibus, vel quasi partibus, quæ sunt intellectus agens, & possibilis, memoria, ratio tum superior, tum inferior, intelligentia, intellectus speculatiuus, & practicus, synderesis, ac conscientia.

2. Articulo igitur primò quærit, vtrum intellectus sit aliqua potentia animæ, vel potius sit ipsa animæ essentia.

Respondet intellectum esse potentiam distinctam ab essentia animæ intellectiua. Probat: nam ex dictis quæst. 77. art. 1. quandoquidem operatio, & potentia sunt eiusdem generis, tunc solum potentia est ipsa essentia, ac substantia rei, cum operatio est ipsa essentia, & substantia rei; sed in solo Deo intellectus est ipsum esse, & ipsa essentia, & substantia intelligentis: ergo in solo Deo intellectus est ipsa Dei essentia, in qualibet autem creatura intellectus est potentia accidentalis distincta ab essentia creaturæ, ac proinde intellectus animæ est potentia accidentalis distin-

cta ab anima intellectiua. Vide dicta qu. 229. & quæst. 148. vbi egimus de distinctione intellectus Angelici ab essentia Angeli, & in philosophia quæst. 11. de anima, vbi actum est de distinctione potentiarum animæ ab essentia animæ.

3. Articulo secundo quærit, vtrum intellectus sit potentia passiuæ animæ.

Respondet affirmatiue. Vt probet, præmittit, quod pati dicitur tripliciter. Primò, pati propriissimè dicitur, quod amittit aliquid ipsi naturaliter conueniens. In hoc sensu aqua propriissimè patitur, dum calefit, & amittit suum frigus naturale. Secundo pati minus propriè dicitur, quod amittit aliquid, quod habebat, siue illud esset conueniens, seu non. In hoc sensu aqua patitur, non solum cum amittit frigus naturaliter conueniens aquæ, sed etiam cum postquam fuit calefacta, amittit calorem aquæ disconuenientem. Tertiò dicitur communiter pati aliquid, dum quomodocumque ex potentia reducitur in actum.

4. Hoc supposito, intellectus diuinus, cum sit actualis intellectio omnium intelligibilium, in quo omnia præexistunt, tanquam in prima idea, & in prima causa, est actus purus, & non est in potentia ad vllum intelligibile, vel ad vllum actum intelligendi. Intellectus autem creatus, cum propter suam limitationem non possit esse actus omnium intelligibilium, est in potentia ad intelligibilia, ideoque est potentia passiuæ, ac receptiuæ intelligibilium, ac specierum, & est passiuus tertio modo.

5. Iam duplex est potentia passiuæ, ac receptiuæ actuum. Prima est, quæ semper habet suum actum, sicut materia corporum celestium semper dicitur habere suum actum. Secunda est, quæ non semper habet suum actum. Intellectus angelicus ita est potentia ad species intelligibiles, vt ab initio, & semper debeat habere omnes species intelligibiles illi naturaliter conuenientes, vt dictum est quæst. 130. At intellectus animæ rationalis ita est in potentia ad species intelligibiles, vt in prima creatione careat omnibus speciebus, ac sit veluti tabula rasa, in qua nulla est imago picta, ac debeat species paulatim acquirere. Dum dicitur intellectum esse potentiam passiuam, in quantum potest recipere species intelligibiles, ab illisque moueri ad intelligendum, non negatur illum actiue concurrere, ad actus intelligendi, & sic esse potentiam etiam actiuam. Intellectum humanum, qui cum sit veluti tabula rasa, habet hanc naturam, vt possit recipere species omnium intelligibilium, & sic moueri ad intelligendum, & fieri omnia, Aristoteles 3. de anima tex. 5. vocat intellectum possibilem, & de eo, nec non de intellectu agente egimus quæst. 34. de anima.

6. Articulo tertio, & quarto quærit, vtrum detur intellectus agens, & vtrum sit potentia

tia animæ, vel aliquid separatum ab anima.

Respondet ex principiis Aristotelis esse ponendum intellectum agentem, qui sit potentia animæ. Sed doctrinam horum articulo- rum explicauimus quæst. 34. de anima, ubi etiam examinauimus primò, vtrum intellectus tum agens, tum possibilis sit potentia animæ; secundo vtrum à parte rei distinguantur: tertio vter sit perfectior: quarto, vtrum dentur etiam in Angelis?

7. Articulo quinto quærit, vtrum vnus numero sit intellectus agens omnium hominum?

Respondet, quod iuxta sententiam dicentem intellectum agentem non esse potentiam animæ, sed esse intellectum extrinsecum imprimentem animæ species intelligibiles, sicut dicitur, quod vnus est intellectus diuinus imprimens Angelis in creatione omnes species intelligibiles, sic dici potest, quod vnus sit intellectus imprimens animæ rationali omnes species intelligibiles. At in sententia nostra, qui cum Aristotele diximus intellectum agentem esse potentiam animæ, per quam ipsa anima species abstrahit à phantasmatis, quot numero sunt animæ, tot numero sunt intellectus agentes, cum potentia multiplicentur numero secundum multiplicationem numericam subiectorum.

QVAESTIO CCXXXII.

Vtrum memoria sit in parte intellectiua, & sit potentia distincta ab intellectu?

S. Thom. qu. 79. art. 6. & 7.

1. **A**rticulo sexto quærit, vtrum memoria sit in parte intellectiua animæ, vel solum in parte sensitiua?

Respondet memoriam posse sumi dupliciter. Primo memoria dicitur virtus conseruatiua specierum etiam cum obiecta per tales species representata non cognoscuntur actu. Secundo memoria dicitur virtus, qua recordamur præteritorum, vt ante cognitorem. Sumendo memoriam in primo sensu, Auicennas docuit species non posse conseruari in intellectu, sed solum in aliqua potentia sensitiua, ac proinde in parte intellectiua non dari memoriam, hoc est virtutem conseruatiuam specierum, etiam cum earum obiecta actu non cognoscuntur. Fundamentum fuit, quia catenus species sensibiles, & phantasmata possunt conseruari, quatenus suscipiuntur in organo corporali, in quo res possunt esse etiam, cum actu non cognoscuntur; sed species intelligibiles non recipiuntur in organo corporali, sed in solo intellectu, in quo res non sunt nisi intelligibiliter, hoc est cum actu cognoscuntur: ergo. Hinc inferit speciem intelligibilem tandiu conseruari in

intellectu, quandiu obiectum intelligitur, & est intelligibiliter in intellectu, cessante verò actu intelligendi, cessare species. Cum verò intellectus possibilis iterum vult obiectum intelligere, debet se iterum conuertere ad intellectum agentem, quem Auicennas existimabat non esse potentiam animæ, sed substantiam separatam, ac tum intellectum agentem iterum imprimere speciem intelligibilem intellectui possibili, & sic illum iterum mouere ad intelligendum. Addebat Auicennas intellectum possibilem ex usu, & exercitio se iterum, & iterum conuertendi ad intellectum agentem, acquirere quandam habilitatem se sic conuertendi, in qua consistat habitus scientiæ.

2. Hanc opinionem Auicennæ Sanctus Thomas rejicit dupliciter: primò quia manifestè est contra Aristotelem. Aristoteles enim 3. de anima tex. 5. docet naturam intellectus esse, vt possit fieri omnia, recipiendo species, & formas omnium intelligibilium. Textu deinde 8. explicat, quo pacto intellectus humanus, qui secundum se est pura potentia, & est purè possibilis, reducat in actum, & hoc explicans docet, quod sit in actu primo per hoc, quod recipiens obiectum secundum esse intentionale per speciem intelligibilem, sit quodammodo obiectum. Ideò intellectus habens habitum scientiæ, per quem constituitur sciens, dicitur esse in actu primo, quia potest, cum voluerit, operari secundum habitum scientiæ. Adhuc tamen intellectus habens habitum scientiæ est in potentia in ordine ad actum contemplandi: sed diuerso modo intellectus dicitur sciens potentia, cum iam per doctrinam, vel per inuentionem, acquisiuit habitum, diuerso modo dicitur sciens potentia, cum adhuc non acquisiuit habitum: ergo Aristoteles docet, quod intellectus etiam cum factus est obiectum per speciem intelligibilem, potest illud actu considerare, & contemplari, vel non considerare, & non contemplari, ac proinde, quod non tunc solum habet speciem intelligibilem, cum obiectum actu intelligit, & contemplatur.

3. Rejicit secundo ratione, Nam quod recipitur in subiecto, recipitur secundum modum subiecti recipientis, ac proinde quod recipitur in subiecto, quod secundum suam naturam sit stabilius, & immobilius, recipitur magis stabiliter, & immobiliter; sed intellectus, cum sit naturaliter immortalis, & incorruptibilis, naturaliter est stabilior, & immobilior quolibet organo corporeo: ergo species intelligibiles receptæ in intellectu recipiuntur in eo magis stabiliter, ac immobiliter, quam species sensibiles recipiantur in organo corporeo, ac proinde si phantasmata remanent in organo corporeo, etiam cum obiectum non actu cognoscitur, à fortiori species intelligibiles remanent in intellectu, etiam cum obiectum non intelligitur actu: ergo